NDEX
SCHOLARUM HIBERNARUM

PUBLICE ET PRIVATIM

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM IENENSI

A DIE XX M. OCTOBRIS A. MDCCCXC

AD DIEM XVI M. MARTII A. MDCCCXCI

HABENDARUM



INSUNT EMENDATIONES MILITIS GLORIOSI PLAUTINAE

GEORGII GOETZ ANTIQUARUM LITTERARUM PROFESSORIS PUBLICI ORDINARII

IENAE

PROSTAT IN LIBRARIA G. NEUENHAHNI

Militem gloriosum Plautinam fabulam lepidissimam quae saeculorum decursu dici nequit quantopere et poetis imitatoribus et doctis interpretibus et iocosae Musae amicis omnibus placuerit, editori sane vel plus quam multas alias eiusdem poetae comoedias difficultatis afferre notum est. Nam quamquam etiam post Ritschelium haud pauci docti in eisque viri summi verbis et emendandis et explicandis operam impenderunt felicissimam, quamquam prodierunt editiones novae praeter Fleckeisenianam novem, Ribbeckii, Ussingii, Brixii duplex itemque Lorenzii et triplex Tyrrellii, nihilominus me Ritschelii recensionem novis curis retractantem permulti loci quam maxime exercitum habuerunt. Qua in opera me praeter apographon Loewii mei utilissimum et a me denuo Mediolani cum ipso codice maximam partem diligenter comparatum adiuvisse opus laudem excedens Gulielmi Studemund, litteris anno proximo flebili fato erepti, Oscari Seyfferti egregia et fideli cura nuper propositum, cur diserte moneam vix esse existimo. Ex eis autem locis quos aliter atque antea factum e[st] constituendos esse mihi persuasi, hac occasione scribendi oblata quinque proferam.

Versus 472 sqq. cum BCDFZ sic plerumque disponunt:

SCE. Quíd iam? PA. Quia hanc attíngere ausu's múlierem hinc e próxumo.
SCE. Mágis hercle metuó. sed numquam quísquam faciet quín soror
Ístaec sit gemina húius. PA. Eam pol tu ósculantem hic uíderas:
Íd quidem palámst eam esse ut dícis. SCE. Quid propiús fuit
Quam út perirem, si élocutus éssem?

Qua in dispositione personarum offendisse quosdam testatur Ritschelius, quo teste *Et ... dicis* sunt qui Sceledro tribuant: quos secutus est Ribbeckius idque rectissime, praesertim cum codicis Ambrosiani auctoritas hanc rationem spatio ante QUID omisso confirmet. Verba *Id ... dicis* respondentis sunt et Sceledro tribuenda. At idem codex optimus non modo versu 475 personae spatium omittit, sed etiam versibus duobus qui praecedunt personas aliter distribuit. Accedit quod verba *sed numquam quisquam faciet quin soror* || *Istaec sit gemina huius* minus bene conveniunt Sceledro quam Palaestrioni: huius enim multum interfuit fabulae de sorore gemina fidem haberi: quo consilio Sceledrus tanta vi hanc rem commemoraverit, minus commode explicabitur. Neque apte ei tribuerentur verba *Id quidem palamst eam esse ut dicis*, si quae praecederent *sed ... huius* ab ipso pronuntiata essent. Coniunctio *sed* quominus illa verba Palaestrioni cum A reddamus non obstat: modo dixerat malum sibi quaesivisse Sceledrum, ut qui alienam mulierem attigisset: nunc ad aliam rem caute pergit, scilicet ut Sceledri obstupefacti errorem confirmet. Itaque hanc rationem commendo:

SCE. Quid iam? PA. Quia hanc attingere ausu's múlierem hinc e próxumo.
SCE. Mágis hercle metuó. PA. Sed numquam quísquam faciet quín soror
Ístaec sit gemina húius: eam pol tu osculantem hic uideras.
SCE. Íd quidem palámst eam esse ut dícis. quid propiús fuit
Quam út perirem, si élocutus essem?

Hunc locum potui ex Loewii testimonio corrigere confirmato etiam Studemundi apographo: quem nunc tractabo, solius Studemundi beneficio fit, ut pristinam formam recuperet. Versus 553 sqq. ita habentur apud Lorenzium:

Et mé despexe ad té per inpluuiúm tuom 553.
Fateór. PE. Quidni fateáre id ego quod uíderim?
SCE. Et ibi ósculantem uidi cum istac hóspitem. 555.
PE. Vidísti? SCE. Vidi: quór negem quod uíderim?
Sed Phílocomasium mé uidisse crédidi:

Versus 555 sq. omittunt BCDFZ, exhibet solus A: ex quibus posteriorem iam Ritschelius recte expedivit, in priore hoc legit: ETIBIOSCULANTEMM et sub finem OS. Loewii hoc est testimonium: ETIBIOSCULANTEMME*M et in fine CUMISTAHOSPITA; reliqua quae neque Loewius neque ipse eruere potuimus, eruit Studemundus, quo teste haec exstant: ETIBIOSCULANTEMMEUMHOSPITEMCUMISTACHOSPITA litteris C, STAC in CUMISTAC dubiis. Qua scriptura usus personas sic distribuo:

PE. Quidni fateáre id ego quod uíderim?
Et ibi ósculantem meum hóspitem cum ista hóspita
Vidísti? SCE. Vidi e. q. s.

Pergo nunc ad alios locos quibus medelam Ambrosianus non adfert. Versum 297 sq. ita edidit Ribbeckius:

Prímumdum, si fálso insimulas Phílocomasium, hoc périeris.
Íterum, si id uerúmst, tu ei custos ádditus bis périeris.

cum hac versione:

Erst einmal, wenn du Philocomasium falsch anschwärzest, geht's dir schlecht.
Zweitens, wenn es auch wahr ist, geht's als ihrem Hüter dir doppelt schlecht.

Pro *bis perieris* quod Brixius proposuit *disperieris*, propter versum antecedentem nullo modo ferri potest. At vereor ne etiam Ribbeckii scriptura a vero aberret, cum sententia displiceat. Dixerat enim Palaestrio, dupliciter paratum esse, ut pereat Sceledrus: primum si falsum sit, ei pereundum esse, quod male criminatus sit Philocomasium: si vero recte criminetur, ei quod male eam custodiverit iterum pereundum esse. Qua in sententia concinnitatem illud *bis* turbare videtur. Ex ceteris coniecturis ea quam Seyffertus proposuit, *(additus, hoc perieris)* sententiae, non metro convenit. Mihi sic scribendum videtur:

Íterum, si id uerúmst, tu ei custos ádditus pro ea périeris.

pro ea pro una syilaba est. Non tam Philocomasium poenas daturam minatur quam is cuius custodiae fuerit commissa.

V. 925 sq. ita fere est BCD:

PA. Nimis lepide fabulare:
Eo potiuerim lepidius pol fieri. ACR. Potine e. q. s.

ubi *poterit uerum* exhibent FZ. Quae verba ut ad numerorum sententiaeque sanitatem revocaret, sic scripsit Ritschelius ducibus Lindemanno *(potuerit rem)*, Bothio *(potis est rem)* Camerario *(potuerit)*:

Eo pótuerit rem lépidius pol fiéri.

ut haec esset sententia: quia te non novit miles, eo lepidius poterit decipi. Contra Ritschelium disputavit Brixius: non solere apud Plautum *posse* cum accusativo cum infinitivo iungi nec usitate *pol* particulam sic a principio orationis remotam esse. Scribendum esse:

Eo pol potuerit lepidius res fieri.

Ritschelium potius sequitur Ribbeckius, qui *Eo potis erit rem lepidius pol fieri* edidit. Brixium contra Lorenzius. Quamquam vel in Brixii lectione esse videtur cur haereamus. Exspectes: eo facilius poterit decipi. Nam cur minus lepida deceptio fiat, si nota sit militi Acroteleutium, aegre invenio: poterat vel lepidior esse et facetior. Certe magis placeat talis sententia: nimis lepide fabulare: eo lepidius nihil evenire potuit. Ab hac ratiocinatione profectus in verbis *potiuerim lepidius pol* latere conicio *potuit hercle lepidius nil*. Quamquam scio, meae coniecturae opponi posse, quod Kellerhoffius (de colloc. verb. Plaut. p. 68 sqq.) duce Brixio (ad Trin. v. 409) optime observavit, negationes ubi coniunguntur cum particulis affirmativis has nullo vocabulo intercedente antecedere solere idque in initio sententiae; quae huic legi obstare [videantur], ea facilem excusationem habere. Velut quod Menaechm. v. 150 scriptum sit *non pergo hercle uero*: ibi enim negationem cum verbo quasi in unam sententiam coaluisse: eiusdem generis esse velut hoc (Ter. Eun. 274): *non malum hercle*. Quam observationem si sequimur, haec collocatio expectanda erit: *Nil hercle potuit lepidius eo fieri* vel *Nil potuit hercle lepidius eo fieri*. At vereor ne talis mutatio violentior sit et supervacanea: nam fuit hoc loco cur tradita collocatio non praeferretur: scilicet ut *eo* cum antecedentibus artissime conecteretur. Possunt etiam haec exempla comparari a Kellerhoffio l. s. s. allata: Men. 198 *Ego saltabo? sanus hercle non es.* Heaut. 491: *Somnum hercle ego hac nocte oculis non uidi meis.* In his quoque exemplis certa causa fuit, cur solita collocatio sperneretur. Neque enim sola species exemplorum, sed etiam ratio respicienda erit: qua in re mirum quantum nunc peccari solet.

V. 187 sqq. tali se ordine in libris excipiunt:

Út eum qui se hic uídit, uerbis uíncat, ne is se uíderit.
Sí quidem centiéns hic uisa sít, tamen infitiás eat.
Ós habet, linguám, perfidiam, málitiam atque audáciam,
Cónfidentiám, confirmitátem, frauduléntiam.
Qui árguat se eum cóntra uincat iúre iurandó suo.
Dómi habet animum fálsilocum, falsíficum, falsiiúrium,
Dómi dolos, domi délenifica fácta, domi fallácias.
Nám mulier holitóri numquam súpplicat si quást mala:
Dómi habet hortum et cóndimenta ad ómnis mores málificos.

Ex quibus versibus sextum omisit A. quapropter eum pro insiticio habere solent: reliquos autem duce Bernardo Schmidt in Fleckeiseni Nov. annal. vol. 93 (a. 1866) p. 13 sic disponit Lorenzius:

Ýt eum qui se hic uídit. uerbis uíncat. ne is se uíderit.
Sí quidem centiéns hic uisa sít. tamen infitiás eat.
Ós habeat. linguám. perfidiam. málitiam atque audáciam:
Qui árguat se. eum cóntra uincat iúre iurandó suo.
Nám mulier holitóri numquam súpplicat. si quást mala:
Dómi habet hortum et cóndimenta ad ómnis mores máleficos.
Dómi dolos. domi délenifica fácta. domi fallácias.

Duo igitur versus excluduntur. unus traicitur. tertius mutatur. Quamquam ne sic quidem omnia plana sunt: verba *Os habeat* cohortationem continent: itaque habere iubetur mulier qualia paullo post domi habere dicitur. Verba *Qui arguat ... suo* prorsus inutilia sunt post versus duo primos. Denique ultimus versus eo quo sedem habere volunt loco sententiam turbat. nimirum post figuratam quae praecedentibus versibus continetur orationem. Itaque hanc viam derelinquendam esse censui et diasceues exemplum luculentissimum haberi mihi persuasi non simplicis. sed duplicis. ut tres recensiones evadant velut hac ratione distinguendae:

1. Ýt eum qui se hic uídit. uerbis uíncat. ne is se uíderit.
Sí quidem centiéns hic uisa sít. tamen infitiás eat.
Nám mulier holitóri numquam súpplicat siquást mala:
Dómi habet hortum et cóndimenta ad ómnis mores máleficos..

---

2. Ýt eum qui se hic uídit. uerbis uíncat. ne is se uíderit.
Sí quidem centiéns hic uisa sít. tamen infitiás eat.
Ós habet. linguám. perfidiam. málitiam atque audáciam
Cónfidentiám. confirmitátem. frauduléntiam.

---

3. Qui árguat se. eum cóntra uincat iúre iurandó suo:
Dómi habet animum fálsilocum falsificum falsiiúrium.
Dómi dolos. domi délenifica fácta. domi fallácias.

Ex quibus recensionibus optima est prima. suspecta media. suspectior extrema: tamen meri glossematis speciem nullus praebet versus. Quam rationem si quibus probavero. aliorum conaminum refutationem non desiderabunt.

Versu 1180 quae est scriptura expapillato bracchio, eam imitatum esse 'Gerardum in vita S. Adalhardi abbatis n. 30 apud Ducangium excitatum' Loewius Prodr. p. 270 auctor est. Quae res notabilis esset in Milite glorioso. quae ad posterioris ordinis fabulas pertinet. At idem Loewius postea vidit. haec verba potius ex Pauli imitatione p. 79. 10 repetenda esse, quod praeter hunc locum multi alii testantur. Ex quibus locis potiores exscribo (cf. d' Achery et Mabillon. Acta St. ordinis Benedicti saec. IV P. 1. Parisiis

1677 p. 346 sqq.): c. 50: *iunior ... iam sororiabat* = Paulus p. 296. 5: c. 26: *alterplicem imperii curam* = Paul. p. 7. 14; c. 18: *aquagium* = Paul. p. 2. 11; c. 21: *antiquat* = Paul. p. 26. 12; 17: *ebrius talipedare* = Paul. p. 358. 4. Praeter Paulum multa ex Terentio desumpta sunt, ut c. 6: *sed ea tempestate, quos sibi amicos obsequium ab eisdem ueritas peperit odium* = Andr. I 1, 41: 12: *et quia annus est dum moliuntur* = Heaut. II 2. 11; 16: *ut pulmenti nihil esset residui omnino* = Eun. III 1, 36; 14: *neque in scirpo nodum quaesiuit* = Andr. V 4, 38. Idem tamen etiam Ciceronem et Horatium non semel imitatus est. Ceterum ipsa illa glossa Pauli ne cui videatur in librum glossarum transiisse, itaque fontem esse glossae ibi traditae *expapillato: exerto brachio ad mammam*, moneo in libro glossarum litterarum ordinem formam *excapillato* tutari: itaque iam is qui composuit hac forma usus est: quod fieri post Paulum vix ullo modo potuit.

His quae exposui aliam quaestiunculam ad omnes Plauti fabulas pertinentem adicere visum est.

Nonium locorum Plautinorum permagnam partem duobus commentariis debere, quorum alter complexus sit Amphitruonem, Asinariam, Aulularium, alter fabulas Varronianas praeter Mercatorem, Mostellariam, Vidulariam omnes, Paulus Schmidt 'de Nonii Marcelli auctoribus grammaticis' p. 35 ex parte Schottmuellerum secutus doctissime exposuit. Qui post Schmidtium eandem tractavit quaestionen, Carolus Reblin 'de Nonii Marcelli locis Plautinis', p. 4 fabulis duodeviginti Varronianis etiam Vidulariam et Mercatorem adiecit, ut casu Mostellaria neglecta esse videatur. Idem p. 61 sic disputat: *num Nonius commentario usus sit dubito; multo enim mihi veri similius videtur esse eum glossarium adhibuisse, quod grammaticus quidam glossas vel potius ipsos versus in quibus inessent excerpens aliorumque scriptorum exempla adiciens composuerit. Quae sententia per se patet, si Nonii testimonia ad vulgatam nec grammatici opera recensitam formam fabularum redire putamus (nam commentarius i. e. interpretatio sine recensione cogitari nequit) fulciturque eo quod facit potestatem originis nonnullorum vitiorum facilius cognoscendae velut mirae Nonii scripturae e Mil. 423 sq. quae est plenus qui pro plena quae.* Quod cur recte disputatum esse negem paucis exponam.

Ac primum quidem duo quibus utitur argumenta facile refelli possunt. Quod enim dicit ille, vitiorum origines sic facilius explicari posse, neglexit et excerpendi socordiam et fata operis Noniani: neque enim dubium est, quin multi errores tales quales p. 61 enumeravit librariis debeantur. Accedit quod non omnia quae tamquam vitiosa illo loco proferuntur merae corruptelae deberi videntur, sed facile in recensione nescio cuius extare potuerunt. Alterum autem argumentum vel infirmius est. Nam ne vulgatam quidem quam dicit fabularum formam sine omni grammaticorum opera confectam esse, cum de Varronianis fabulis agatur, certum est. Cur autem glossarium facilius ex vulgato exemplari quam ex recensione aliqua pendere dicamus nulla omnino causa est.

Sed ut haec argumenta facile corruerunt, ita demonstrari posse existimo, ultro improbabile esse glossaria Nonianis ordinibus Plautinis pro fundamento fuisse. Glossaria enim quae proprie dicuntur duplicem formam ostendunt, ut aut ad litterarum ordinem aliquem modo severiorem modo liberiorem sint disposita, aut ad locorum unde petitae sunt glossae consequentiam.

His opposita sunt quae improprie glossaria dicuntur, h. e. collectiones aut ad grammaticorum usum spectantes, velut collectiones adverbiorum, deponentium et quae similia sunt, aut ad antiquitates aut ad alia observationis genera accommodatae. Hoc autem genus ab illis ordinibus alienum esse non est cur accuratius exponam; non minus aliena sunt glossaria alphabetica: itaque unum tantummodo genus relinquitur. Qua in re cave ne de illis glossematicis libris cogites, de quibus egi in Ind. a. 1886 p. X; nam non est, cur in illis ipsos locos ascriptos fuisse credamus. Immo illud glossarium Reblino iudice 'grammaticus quidam glossas vel potius ipsos versus in quibus inessent excerpens aliorum scriptorum exempla adiciens' composuit. At non modo versus excerpsisse et aliorum exempla addidisse putandus esset, verum etiam, id quod rectissime Schmidtius p. 35 exposuit, verborum etymologias et alia multa posuisse, quae minime glossarium redolent. Certe illud 'glossarium' tam mirae indolis esset, ut simile exemplum norim nullum. In mentem venire possit illius libri quem Festus edere voluit: 'priscorum verborum cum exemplis': sed incredibile est, Festum materiem dispositurum fuisse ad exemplum glossatoris Rebliniani. Possis etiam de tali libro cogitare, qualem proposuit Arusianus Messius in exemplis elocutionis. Nam nequis obiciat, quod proposuit Buechelerus Mus. Ren. vol. 43 (a. 1888 p. 293), exempla circiter anno 387 esse edita, similis syllogae extare vestigia moneo: cf. Ind. Jen. a. 1888/89 p. V. At nulla ibi legitur explicatio. Quod cum ita sit, glossarium tale Plautinum numquam extitisse putaverim. Hausit Nonius aut ex commentariis aut ex codice quodam scholiis ornato: commentatores autem vel scholiastas praeter alios libros glossaria quoque adiisse cur negemus non video.